



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Literæ Episcopi Vercellensis Metropolitano scriptæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

His ita gestis, cum iam hora esset tarda, censuit Illustriss. Dominus huic prima sessioni finem imponendum esse: ideo pro certa feria sequentis sessionis sententiam Patrum rogari iussit, & induci ad præscriptum.

Mox Reuerendi Promotores coram Illustrissimo Metropolitanu constituti pro rogitu actorum in præsenti sess. Cancellarium appellarunt, ad formulæ supra in Actis primi Conc. præscriptæ rationem.

Illustriss. verò Metropolitanus Mitra pretiosa deposita, assurgens solenniter Synodo benedixit, ac sacras vestes exuit: & assumpta cappa, comitantibus Reuerendiss. Episcopis ac Prelatis alijs quampluribus, præeunteq; Reuer. Capitulo ac Clero Metropolitanæ, per viâ subterraneam in ædes Archiepiscopales reuersus est.

#### Audientia indicta Test. Synod.

**D**e Sabbati duodecimo mēsis Maij Audientia in proxima publica cōgregatione Testibus Synodalibus indīcta, tabellis locis solitis publicè positis in hac verba fuit significata. Hodie hora decima octaua erit publica audientia Reuerendorum Testium Synodaliū Prouinciæ. Ex Cancellaria Archiepiscopali, Die 12. Maij 1582. Signat. M. Antonius Bellinus Cancell.

Hora indicta Illustriss. Metropolitanus huic audiētiæ vocavit sigillatim & secretō singulos Testes synodales, loquētes, & referentes, ac etiam interrogatio nibus per eum factis respondentes.

Post audientiam circiter horam vi gesimam secundā Illustrissimus Dominus Metropolitanus vocatis Reuerendissimis Patribus statam Congregatiōnem secretam in loco ad id constituto habuit, cui interfuerunt Reuerendissimi Domini Episcopi, Dertonensis, Cremonensis, Bergomensis, Brixensis, Astensis, Alexandrinensis, Albenensis, & Vintimiliensis. Congrēgatis omnibus, relatum est R. D. Paulum Granutium I. V. Doctorem Protonotariū Apost. procurato rem specialē in hac sancta Synodo nomine Per illustris ac Reuerendissimi Do

mini Io. Francisci Episcopi Vercelleni comprouncialis, nunc apud Serenissimum Rodolphum Imperatorem Sanctissimi D. N. Papæ, & sanctæ Sedis Apostolicae nuncij cum potestate Legati de latere adesse, & comparuisse cum literis ad Illustrissimum Dominum Metropolitano, & ad hanc sanctam Synodus, à Reuerendiss. suo principali datis, quas vehementer optabat reddere, & præsentare.

Quod vbi intellectum est, fuit admisus & introductus, & primò Illustrissimo Metropolitanu, tum Synodo vniuersitatem cum reuerentia literas reddidit; quas statim Illustrissimus Metropolitanus & Reuerendiss. PP. Cancellario legendas dederunt, & sunt quæ sequuntur.

Literæ Reuerendiss. Episcopi Vercellensis Illustrissimo D. Metropolitano Viennæ Austriae scriptæ.

**I**llustriss. ac Reuerendiss. in Christo Pater ac Domine, mihi semper omni obseruantia colende. Etsi notam sati ac manifestam Illustriss. ac Reuerendiss. vestra Amplitudini esse causā noui, quæ mihi nè in Concilio isto Provinciali sexto ab ipsa legitimè indicto præsens ad similem impedimento est: debeo tamen, ut Concilijs quarti decreto satisfaciam, excusationē mittere, certumq; procuratorem ecclesiasticum hominē istuc allegare, qui iustum & necessariam absentiæ meæ causam, exponat magis, quam probet; quique meo nomine, que cunque in Synodo ista ab Illustriss. & Reuerendiss. vestra Amplitudine de Reuerendiss. Coepiscoporum suorum, fratribusq; ac dominorum meorum consilio atq; assensu egerit, gesserit, constituerit, decreuerit, sanciueringe, suscipiat atque recipiat, omni cum humilitate, ac præcipuo obseruantia atque obedientia studio. Itaque Reuerendis D. Vicario Generali, & D. Beluisio Canonicō Primicerio Ecclesiæ meæ Vercelleni. & Protonotariis Apostolicis, utriusque, & eorum unicuique in solidum mandauit, ut istic ad decimum Maij proximè sequentis mensis diem Mediolani adiungat,



ac debitum hoc officium meum accurare, & quoad fieri poterit, integrè persoluant, reliquaque omnia in Synodo ista Prouinciali agant & præstent, quæ legitiimi Episcoporum absentium procuratores in eiusmodi cōciliari actione prestatre agere solent, aut vlla debent ratione. Atque ut hæc omnia commodius peragant, publicum huius mandati mei testimonium, quod Amplitudini vestre Illustris. exhibeāt, ad illos misi. Aequū porrò est ac rationi consentaneum, vt qui ex intimis animi mei sensibus doleo, quod isti celeberrimo cōuentui interessè non possim, quiq; multò plus ceteris omnibus Episcopis comprouincialibus, Amplitudini vestra Illustriss. obsequi, parere atque inferuire vehementer, & cupio, & debco; nulla ex parte debito officio meo desim.

At verò cùm multa sint, de quibus in Concilio referendum mihi esse existimarem; hæc tamen duo præcipue, quæ censurarum ecclesiasticarum penas, ex antiquis canonibus, & Tridentini Concilij decretis adjunctas habent, prætermittere vel absens nulla ratione debeo, quin me in ijs minimè delinquisse ostendam; nempe quod Concilij Provincialis V. decreta, in synodo mea diocesana, sexto post mense non promulgauerim: quodq; Synodum Diocesanam singulis annis non celebrauerim. Quintum enim Concilium nonnisi in octaua Synodo mea Vercellensi, hoc est 12. ferme ab illius promulgatione Mediolani facta mensē eulgi iussi, nouemque annos cùm iam in Ecclesiæ meæ administratione egerim, octo tantum Synodos coegi. Quarum tamen culparum excusationes, atque ut puto legitimas, nè prolixior euadat epistola, in Synodorum mearum Vercellensi libello, quæ procuratores mei in Concilio exhibebunt, videre & legere poterit Illustrissima vestra Amplitudo: prioris scilicet in octaua, posterioris autem in quinta Synodo decreto primo; vbi non tantum iustum prætermitti officij rationem & causam; sed facultatem etiam, aut potius dispensationem a Sanctissimo Domino eam ob causam impletatam, per quod testatam esse volui. Hoc autem

ipso anno, vt ne anniuersaria hæc iam sanctè introducta actio, absente me intermitteretur, Vicario meo Generali iussi, vt Synodum iam ad certum diem ex Prouinciali Decreto indictam habeat; ad eumq; nonnulla etiam decreta in Synodo ipsa euulgāda misi, quemadmodum ritè recteque absolutam esse nonam Synodum meam Vercellensem iam arbitror, & spero.

Duo alia præterea decreta sunt, quæ quamvis censuras annexas non habeāt, permagni tamen interest, vt exactè obseruentur; quippè Tridentinis, & Provincialibus decretis unicus Episcopo districte commendata, atque mandata: Videlicet de visitatione Ciuitatis & Dicecis obeunda, Deque Seminario ad Tridentini Concilij præscriptum instituendo: in quibus sanè magna ac præcipua ecclesiarum benè admistrandarum ratio posita est.

De visitatione igitur, quam idem Concil. Trident. singulis annis aut saltem biennijs spatio vniuersæ Dicecesi atque Ciuitatis ab unoquoque Episcopo per se, vel per alios fieri iubet, id dicā, Credere me Tridentinę iussioni vtcunque satisfecisse, qui ante Helueticam legationem ter'ego ipse vniuersam Dicecesim perlustrauerim, omnesque ecclesiias, atq; etiam oratoria singula inspexerim, semelq; per alios visitari iusseram; post autem iterum nempe anno 80. perlustrari à Reverendis Ecclesiæ meę Archidiacono, & Præposito mandaui, & priusque hic annus 82. elabatur, sexta, Deo benè iuuante instituetur visitatio. Verū tamen si quid in ijs frequentibus Synodis, & visitationibus actum sit, ex me queratur, profectò pudebit referre, vt ingenuè dicam, qui exiguum admodum laborum meorum fructum extare video; meique fortassè potius culpa, ob peccata mea, quæ Diuinæ gratiæ obicem ponunt, quam aliorum causa. Id verò affirmare non verebor; quamvis parum profecerim præsens, non expedire tamen Ecclesiæ meę, quod ego ab illa diutius absum: quare D. V. Illustrissimā ex corde rogo, vt quod primū tempore per Sanctissimi Domini voluntatem licuerit, ab hoc legationis.

tionis munere me absolui; atque Vercelias reuocari curet.

Quod ad Seminarium spectat, bona fide testari possum, me non modò post Concilij Provincialis V. decretum, sed nunquam antea toto meæ administrationis tempore vlli cuiquam simplex ali quod beneficium contulisse, sed omnia quecunq; licuit, Seminario meo Vercellensi iure vnionis adianxisse. Cum autem nullus adhuc fermè clericus in illo gratis sustentari posset, ex eiusdem Concilij Provincialis V. auctoritate, tertia decima partem in Synodo mea dicæsanæ octaua, eidem Seminario persolue dam esse declarauit; atque eiusmodi exactio ne indixi, vt ex illo decreto, quod in eadem octaua Synodo quintum est, facile constare potest. Qui tamen factu fit, vt nulla adhuc iussiōnis seu exactio nis illius ratio sit habita, causam intelliget ex procuratoribus meis. Quamobrem ab Illustrissima vestra Amplitudine opem atque auxiliū imploro, vt ter tia illa decimæ pars, sine qua Seminarium certè meum, potius contubernaliū Collegium, quam Clericorum Seminarium esse videtur, omnino, atque integrè singulis annis exigatur. Facilior porro erit exactio nis ineundæ ratio, si cum Illustrissimo Cardinali Vercellen. serio egerit, eiq; persuaserit, vt primo quoq; tempore ipse pro suorum beneficiorum, quæ multa in Diœcesi mea obtinet, ratione, debitam portionem tam pro elapsu quam pro hoc ipso anno quem agimus, persolui statim mandet.

Est verò etiam decretum aliud, quod licet in Tridentino Concilio non extet, negligendum tamē non est, cum in Provinciali Concilio Quinto editum, haud mediocriter conferre videatur ad rectâ ecclesiâ bonorum & prouentuum administrationem & dispensationem; tum maximè ad Episcopum rerum familia rium curis subleuandum, quo aptior & expeditior esse possit ad spiritualiū tractationem & meditationem. Illudq; est de Oecono, quem ex eiusdem Concil. Provincialis quinti decreto diligere & constituere debui; Ecclesiasticum virum, deque rationib; dispensationis in certi codicem relatis ad Con cil. sextum afferendis atq; exhibendis: in quibus ego, vt rei familiaris meæ haud diligens sum dispensator, quippe qui domui meæ præesse nescio (atque ideo indignus, cui Ecclesiæ Vercellæ cura cōmitteretur) culpam non leuem, & agnoscō, & fateor, quod fortasse rationes miseras recte ordineq; vt deceret, a me meisve exhibenda erunt; aliquam tamen excusationem, neque omnino improbadam, peto vt afferre mihi liceat. Cum enim iam pridē ex Canonicis meis vnu Oeconomum constituisse, virum sanc tè probum, & timoratè conscientię sacerdotem, qui mihi etiam in prefectio ne Helvetica comes fuit, is postea diem extremum ante obiit, quam dispensatio nis suę rationem reddere potuisset: quā ob causam, & ob perpetua ferè itinera mea, in quibus totum propè integrum hoc trienniū, quod iam a Concilio Provinciali quinto elapsum est, consumpsit, excusari certè mereor, si in hac re negligentior visus fuero. Mēi tamen procuratores (neque enim Oeconomum ecclesiasticum qui idoneus eset, inuenire deinceps licuit) vtcunque spero satisfacient; quibus iam dudum iussi, vt rationes omnes, quanta maxima possent diligentia colligerent, atque in Concilio exhibendas pararent.

Sed quoniam ex rationum libro, vt composito liquido constabit, me non leuem æris alieni summam contraxisse, dicam verè nec dissitebor, me imprudentem certè atque incautum iure videri posse, qui meas vires non recte metitus, Euangelicique exempli immemor, sumptus prius non computauerim, dignusq; sim ideo, cui homines illudant potius quam misereantur excusentve. Verū enim uero cum solenniter transferendi sacrum sancti Eusebij primi Vercellæ Episcopi, & martyris glorioissimi corpus incidisset occasio, (nihil enim ferè aut certe partu ante cuiquam debuerat, quamvis multas impensas fecerim ob Seminarij & Ecclesiæ fabeicam & suppellectilem, atque ob Helueticam legationem) nihil non magnificum, atque honorificum in actione illa præstare me debere arbitratus fueram, nisi meo muneri, ingrato nimis atque pusillo an-

153

mo deesse omnino voluisse; quando licet duo etiam nummum aureorum milia in sanctarum reliquiarum honorem impendissem, id mihi tamen graue nequam futurum videbatur, postquam vnius anni spatio, quo iam ab ecclesia & Seminarij fabrica immunis iure fueramabiturus, illam aeris alieni summam diluere facile me posse cogitaram. Ait contra accidit; cum præter ecclesia cathedralis chori fabricæ absolutionem, que mihi tota imposta est Illustriss. Cardinali Vercellen. pro rata conferre renuente, præter munitas opere vitreo fenestras eiusdem chori amplissimas, pro quibus quingentos fermè aureos me vnum erogare oportuit; legatio hęc apud Cæsarem mihi repente iniuncta est, cuius certe causa tria haec tenus & amplius coronatorum millia expendi. Hęc si minus iusta Illustriss. Veltra Amplit. videbitur excusatio, correctionem que illi opportuna videbitur, haud renuā; postquam illud tamen non celauero, me illius semper fuisse sententiæ, ut aliquid debere fatus duxerim, quam plenum pecuniarum vñquam habere marsupium, ad fugiendum adeo perniciose cum landi auri cupiditatis periculum. Quamquam verè illa optima mihi visa est atque optabilis conditio; vt si qua fieri ratione potest, prouentus ac census, quoscumque percipit vir ecclesiasticus, atque Episcopus præsentim, ut ille pieque expendantur omnes, neque ulli quidquam debeatur.

Nec verò, & si tam multa ob hanc germanicam legationem expendi, picta aulæa, sericamve aut argenteam suppellestilem (quamquam plerisque amicorum contra suadentibus, & quasi impellentibus) Deo adiutore adhibui; familiarem dico suppellestilem: Ecclesia fastigiam enim vt non spernēdam haberem, & curā adhibui, & multa impendi. Subinde leges nostras prouinciales seruare in omnibus studiū; præterquam quod in mensa, vt verè fatear, non adeo exacte; a multis quidem pijsque viris ita persuasus expedire atque oportere.

Hęc si fusi fortasse, quam alicuius aures patiantur, explicata fuisse videbūtur, id eo studio a me factum existimēt,

rogo, quo Decretorū Provincialium nostrorum obseruantior esse cupio; & quantum pro mea tenuitate potui, sedulo laborau semper. Si quid autem Illustrissima vestra Ampli. aut aliquis alius ex Reuerendissimis Patribus plura eiusmodi penitus intelligere fortasse voluerit, Procuratores mei facilè poterūt de omnibus rebus, & diligentius, & enucleatius respondere.

Essent præterea plurima alia quidē, de quibus reddere deberem in synodo ista rationem; sed mihi ignoscat queso Ampl. Vestra Illustriss. bonique consulatas literas meas, que quamvis multis partibus esse possint conspectu isto vetero indignæ, Testes sunt meæ erga Illustriss. vestram Amplit. atque Reuerendiss. istos patres obseruantia, quos sanè omnes ab hoc (vt ita dicam) exilio more plenus saluere in Domino iubeo; ac præcipue Illustriss. vestræ Amplit. cęlestis roris abundantiam precor a Deo patre misericordiarum, & vnicobonorum omnium largitore. Viennæ, Calen. Aprilis 1582.] Subscrip. [Illustrissimæ & Reuerendissimæ Amplit. vestræ humillimus ac deuotissimus famulus Io. Franciscus Episcopus Vercellen.] Atergo cum suo solito sigillo, [Illustriss. ac Reuerendiss. in Christo patri ac Dominō D. Cardinali Sanctæ Praxedis & Archiepiscopo Mediolani Domino mihi semper omni obseruantia collendo &c.

Literæ Reuerendiss. Episcopi Vercellen. Reuerendissimis Episcopis in sexta Synodo prouinciali Mediolani cōgregatis Viennæ scriptæ.

I Llustriss. ac Reuerendiss. in Christo Pater ac Domine, vosq; perillustres ac Reuerendiss. Patres, Domini mei plurimum obseruandi. Quam graue, quam acerbum vulnus cordi meo inflixerit, atque infligat acerbius in dies haec diuturna absentia mea, longè sanè melius considerare poterunt Reuerendiss. vestræ Amplit. quibus aliquandiu ab ecclesijs suis interdum abesse contigit, quam ego nunc referre necessarium putem: quamquam si velim etiam, id non facile